

conferet alicui idoneo sacerdoti, vicarius autem in choro dicti thesaurarii vices geret; ipso vero defuncto idem vicarius choro deserviet, prout ceteri vicarii perpetui consueverunt, diebus vero dominicis et festivis proprium habentibus officium in capella celebrabit. Item in qualibet septimana dicet unam missam in eadem de beata virgine; item unam pro defunctis, pro dicto thesaurario et pia memoriae domino praeposito Siffrido; item alteram similiter pro defunctis, in qua dicti thesaurarii agetur memoria et felicis recordationis praepositi Erkenberti. Praeterea idem vicarius recipiet in Colonia<sup>c)</sup> tria talenta, septem solidos et tres denarios Vribergensis monetae, qui in festo beatae Walpurgis de centum triginta quatuor arcis et dimidia persolvuntur, qui census worfcins vulgariter nuncupatur, sic tamen quod quaevis area nonnisi sex denarios solvere teneatur; quem censum a Tammone de Gothzenwalde et Agnete uxore ipsius, cuius dotalitium fuerat, comparavit et illustris princeps dominus Fridericus Misnensis, Orientalis et de Landisberc marchio proprietatem ipsius dedit Misnensi ecclesiae, prout in ipsius litteris confectis desuper plene liquet<sup>d)</sup>. De quibus talentis septimanis singulis die sabbati vespere tenebitur magistrae infirmorum hospitalis Misnensis unum solidum eorundem denariorum praesentare, ut inde per septimanam illam praeter praebendam cottidianam in ovis vel aliis secundum indigentiam infirmorum et temporis qualitatem refectionem infirmis faciat specialem, residuos quindecim solidos et tres denarios recipiet idem vicarius pro labore et ut vicariae redditus emendentur. Quaecumque vero septimana non solverit solidum memoratum, tenebitur dictae magistrae coram domino decano qui pro tempore fuerit respondere. Dicta vero magistra tenebitur vicario, quotiescunque voluerit, de consumptis reddere rationem. Ut autem praedicta omnia firma permaneant, nec ab aliquo successorum nostrorum valeant infirmari nec ulla super ipsis in posterum suscitetur quaestio nocitura, praesentem paginam desuper conscriptam dedimus in testimonium nostri et capituli nostri sigillorum appensionibus roboratam. Testes sunt dominus Siffridus decanus Misnensis, dominus Johannes praepositus Wurzinensis, Heidenricus cantor Misnensis, magister Theodericus praepositus Budesinensis, magister Gebehardus decanus Mogunthinensis, dominus Johannes de Strele praepositus in Hayn et magister Conradus scriptor noster, canonici Misnenses et quam plures alii fide digni. Actum et datum Misnae anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo tertio Nonas Septembris pontificatus nostri anno vicesimo quinto.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an rothen seidenen Fäden.

c) C 611n bei Meissen. d) Vgl. No. 297.

### No. 302. 1291. 24. Sept.

*Markgraf Friedrich der Freidige gibt nach umständlicher Erzählung des Hergangs zu dem von B. Withego abgeschlossenen Kaufe der Stadt Pirna mit allen ihren Rechten und Gerechtigkeiten seine Zustimmung.*

In nomine domini amen. Nos Fredericus<sup>1)</sup> dei gratia Misnensis et Orientalis marchio ac Saxoniae comes palantinus recognoscimus et tenore praesentium publice

1) *Fridericus B.*